



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Antipharmacum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40295

Antipharmacum.

Si Diabolus potest verum Sacramentum conficere & administrare, multò magis mulier, multo magis quilibet aliis generis masculini, baptizatus, cum per baptismā omnes nascantur sacerdotes, vt super audiuimus. Ex quo sequitur Diabolum non esse sacerdotem, cum non sit baptizatus; & tamen potest cœnam parare: nam si nunc Diabolus aut membrū eius, inquit Lutherus, ordinationem Christi seruat & habet, tunc vera & efficacia ministrat Sacra menta, nam Christus propter Diabolum aut impios homines non fit mendax erga Ecclesiam; sed nihilominus verum baptismum dat, verum Sacramentum corporis & sanguinis Domini porrigit, cuiuscunque manu, pīj vel impīj ministretur. Ex qua doctrina Lutheri rursus conficitur, membra Diaboli, hoc est, etiam non baptizatos homines, cœnam conficere & administrare posse, vt Iudæos, Turcas, Ethnicos; quandoquidem nihil aliud requiritur, quam vt panem & vinum, & verba institutionis integrè & fideliter adhibeant, & repræsentent.

Quæritur XIX. Vtrum scelerati & flagitiosi Ministri Sacramentum verè conficere & administrare possint. Ad hanc quæstionem responsum affirmatiuum dari debere satis manifestum relinquitur ex Quæst. XVIII. Ad eandem affirmatiuè respondet quoque Lutherus in Colloq. Sypos. Germ. Tit. de Sacramento Altaris: quia Sacramentum non fundatur in sanctitate personæ conscientis & administrantis, sed in verbis & institutione Christi. In captiuitate Babylonica cap. de Eucharist. Sicut impius potest baptizare, ita potest & promissionem huius Sacramenti (altaris) proferre & ministrare vescenibus, & simul ipse vesci, sicut Iudas traditur in cœna Domini.

Quæri-

Quæritur XX: Quid si Minister sit infidelis, qui Sacramentum nihili aestimet, vel recta & orthodoxa fide careat, sitq; hæreticus, num verum Sacramentum consecrabit & administrabit. Affirmat Lutherus in libro de *Missa priuata & unctione sacerdotali*, ut antea audiuiimus: Idem docet in Colloquiis Mensalibus loco Q. 19. citato. At statim ibid. seq. Paragrapho, limitationem adiicit: nempe: *Ministrum infidelem & hæreticum porrigere corpus & sanguinem Christi si Ecclesia hoc est, præsens cœtus fidelium sit fidelis & orthodoxia deditus.* Nam ubi est confessio verbi, Gott geb der Bub sey wie er wöll / inquit Lutherus, tam
men Sacramento nihil decedit. Os decipitur, fides non decipi-
tur. Si verba institutionis ab Ecclesia publicè audiantur, tum
periculum hæret in impio Ministro non in Ecclesia, quæ credit
verbis & accipit id, quod verba significant; Et fides pro corpo-
re & sanguine Christi habet.

Quæritur XXI, si talis infidelis Minister publicè cōtra Sacramenti veritatem doceat & concionetur; num verum Sacramentum conficiat; & num ab illo cœnam sumere liceat. Respondebat Lutherus Colloq. Symp. loc. cit. negative quia hic non tantum cessat dignitas perso-
næ, sed res ipsa inquit Lutherus. Neque Sacramentum ad-
est: quia Sacramentarij tollunt substantiam rei, neque quid-
quam in Sacramento habent præter nudum Panem & vinum.

Antipharmacum.

Q V A M hæc consenserunt cum doctrina quam tradidit Lutherus in lib. de Missa priuata & alibi satis planum est ex quæst. 17. & 18. Magnum fuit Lutheri in Sacramentarios odium, qui ipsum Diabolum maiore honore & po-
testate in cœna conficienda & distribuenda dignatus est, quā Sacramentarios: nam doctrinam illam de Diabolo

L

num-